

21/

DECRETUM

*De termino a quo
effectus suspensivi recursus*

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Super instantia Rev. D. Sac. Aloysii Rossi diei 8 augusti 1972, qua petit ut declaretur a quonam momento decurrat effectus suspensivus actus potestatis administrativae ecclesiasticae, contra quem propositus sit recursus ad Hoc Supremum Tribunal,

d e c l a r a t

effectum suspensivum decurrere ab ipsa interpositione recursus legitime facta (art. 104-107 *Normarum Specialium* Huius Supremi Tribunalis) et ideo vigere etiam antequam decernatur « utrum recursus admittendus sit ad disceptationem, an reiciendus quia manifeste ipse caret fundamento » (art. 116 *Normarum*).

Idque communicetur cum recurrente et cum Exc.mo Episcopo Dioecesis X.

Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 9 augusti 1972.

DINUS Card. STAFFA, *Praefectus*

✠ AURELIUS SABATTANI, *a Secr.*

L. ✠ S.